

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CXLIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

faciat scriptura filiorum Prophetarum, & quam ampla ac luculenta præmia, is, qui mentiri nescit, polliceatur iis, qui curâ pauperum, inprimis vero scholasticorum, afficiuntur, & plantulas regni cælorum fovent ac pro virili promovent. Sed nolo pluribus hac de re tecum agere, ne benevolentiam tuam, quam omnes ubique magno ore prædicant, in dubium vocare videar. Ego vicissim tibi & tuis pro virili, mea studia & expromptam operam deferō. Adolescentem tuorum beneficiorum nulla unquam capiet oblivio, Filius Dei, studiosorum præses, procul dubio tibi & tuis abunde ea recompensabit. Quod reliquum est, ego æternum patrem Domini nostri Jesu Christi ardentibus votis oro, ut te tuæ publicæ & domesticæ Ecclesiæ diu incolumem conservet, nobis salutarem pacem & tranquillitatem concedat, tandem verò ex hac miseriarum valle, in æternam & nunquam intermorituram transferat, Amen. Bene vale, & responde. Datæ Smalcaldæ, ipso die Kiliani, Anno gratiæ, 1568.

*Tua Reverentia*

*Dedit.*

Christophorus Fischer, servus Christi  
apud Smalcaldenses.

CXLIX.

*Salutem in Christo.*

**H**As literas in summis meis occupationibus scribo, ut scias, me adhuc vivere, & nondum mortuum, quem tamen multi optarent extinctum. Papistæ insidiantur, Cingliani proscindunt famam & honorem meum. Ego verò è Cælo pendo. Summum dolorem cæpi ex defectione Comitis ab Helfenstein, sed majori voluptatem & gaudium ex accessione, qua Dux Brunsvicensis, mortuo patre, Duce Henrico, veteri Ecclesiæ Christi hoste, Evangelium Christi amplexus est, & totum suum Ducatum reformare instituit. Dominus sancto proposito adsit, & huic Duci dies vitæ prorogare velit. Cruenta meditati & mitati sunt Papistæ. Sed Dominus invertit illorum consilia, & confusione replebitur facies illorum, ut Pfältes inquit. Cujusmodi specimen ediderit Joannes Piscator noster, pro Disputatione publica, ex aliis audivisti, ad quam ego illum coëgi. Et tempore quidem ipsi minus commodo. Tum enim sese ad Magisterium preparabat. Præclare se gessit, ut paucis verbis dicam. Conabor per gratiam DEI præstare vobis in illo adolescente, quod vobis promisi, quando pro ipso intercessi. Bene & feliciter vale, & tuum Jacobum amare perge. Tubingæ, 12. Julii, 1568. Collegas tuos, Reverendos doctis-

doctissimos & ornatissimos viros, fratres meos charissimos, meo nomine reverenter salutabis.

Tuus ex animo

Jacobus Andreae.

CL.

*Gratiam & pacem per Christum. Reverende ac*

*Clarissime Vir, amice colende.*

EX Rostochio 28. Junii post habitam ibi publicam de communicatione Idiomatum Disputationem ad te scripsi. Et quia studiosos illos, quibus literas tradideram, arbitror jam ad vos pervenisse, judico, non opus esse prolixiori repetitione. Sed domum reverso 14 Julii tuae mihi literae redditae sunt, quae me de editione libelli mei de communicatione Idiomatum dubium reddiderunt. Nam Bibliopola Francofurtensis, Simon Hutter, ex nundinis Lipsiensibus mihi scripsit, se duorum meorum libellorum, unius de Cæna Domini, & alterius de communicatione Idiomatum editionem ad typographos Argentinenfes procurasse. Sed ex tuis literis hoc non intelligo. Rostochio autem ad te scripsi de mutanda epistola dedicatoria alterius libelli de Communicatione Idiomatum. Si igitur editio apud vos curata est, amanter & officiose peto, ut illa, de quibus scripsi, diligenter eurentur. Si autem forsitan libelli illi Basileæ ederentur, etiam atque etiam oro, ut per hunc nuncium amico cuidam Basileam scribere non graveris, ut ea, quae tibi scripsi, recte expediantur. Quod autem liberius hoc à te peto, amicitiae hoc nostrae dabis. Scribis praeterea de chartis quibusdam, sparsis nomine D. Mörlini, de certaminibus Illyrici. Et vellem, me posse jam copiose, sicut constitueram, respondere. Sed nuncius properat & jam à Senatu vocor. Breviter itaque idem vobis respondeo, quod & aliis, & coram Rostochiensibus & Wigando & Westphalo respondi. Primo colloquium illud non institutum, nec exceptum est, ut publice spargeretur, sed ut in privatum Ecclesiae nostrae usum asservaretur. Et bona fide possum affirmare, chartas illas me & incio & invito in publicum sparsas esse. Secundo chartae illae sicut circumferuntur, non bona fide descriptae sunt. Explicationes enim jejunae, mutilae & imperfectae sunt, praesertim de Lege, de definitione Evangelii & de aliis etiam. Tertio, scripsi ad D. Mörlinum, si animadverterimus corruptelistas chartis illis abuti velle ad corruptelas stabiendas, nos opposituros publicam responsionem. Hac responsione, quae vera est, boni illi viri, quos nominavi, sibi satisfieri passi sunt, atque idem de vobis etiam mihi persuadeo. Plura jam scribere prorsus mihi non valet. De Schlüsselburgii negotio alias scribere ad vos decrevi. Nunc brevitati literarum

M m 3

EARUM